

suetudinis pondere praegravatus, cordis faciem non attollit: quia cogitationis statum erigere non valet, quem terrenae usus sollicitudinis curvum tenet. Ex horum quippe specie Psalmista dicit: incurvatus sum et humilitatus sum usque-
 quaque. Quorum culpam quoque per semetipsam veritas repro-
 bans, ait: semen autem quod in spinis cecidit, hi sunt qui audierunt verbum, et a sollicitudinibus et divitiis et voluptatibus vitae euntes suffocantur, et non referunt fructum. Lippus vero est, cujus quidem ingenium ad cognitionem veritatis emicat, sed tamen hoc carnalia opera obscurant. In lippis quippe oculis, pupillae sanae sunt, sed humore defluente infirmatae palpebrae grossescunt: quorum, quia infusione crebro atteruntur, etiam acies pupillae vitiatur. Et sunt nonnulli, quorum sensum carnalis vitae operatio sauciat, qui videre recta subtiliter per ingenium poterant, sed usu pravorum actuum caligant. Lippus itaque est, cujus sensum natura exacuit; sed conversationis pravitas confun-
 dit. Cui bene per Angelum dicitur: collyrio inunge oculos tuos ut videas. Collyrio quippe oculos ut videamus inungi-
 mus, cum ad cognoscendam veri luminis claritatem intellectus nostri aciem medicamine bonae operationis adjuvamus. Albuginem vero habet in oculo, qui veritatis lucem videre non sinitur; quia arrogantia sapientiae seu justitiae caecatur. Pupilla namque oculi nigra videt, albuginem tolerans nil videt, quia videlicet sensus humanae cogitationis si stultum se peccatoremque intelligit, cognitionem intimae claritatis apprehendit. Si autem candorem sibi justitiae seu sapientiae tribuit, a luce se supernae cognitionis excludit: et eo claritatem veri luminis nequaquam penetrat, quo se apud se per arrogantiam exaltat: sicut de quibusdam dicitur: dicen-
 tes enim se esse sapientes, stulti facti sunt. Jugem vero habet scabiem, cui carnis petulantia sine cessatione domi-
 natur. In scabie etenim fervor viscerum ad cutem trahitur, per quam recte luxuria designatur: quia si cordis tentatio